

# SYNCHARISTICON

QVO

*SERENISSIMVM PRINCIPEM  
AC DOMINVM*

**DN. IOHANNEM  
WILHELMVM,**

DVCEM SAXONIAE, JVLIACI, CLI-  
VIAE AC MONTIVM, LANDGRAVIVM THU-  
RINGIAE, MARCHIONEM MISNIAE, PRINCI-  
PALI DIGNITATE COMITEM HENNEBER-  
GIAE, COMITEM MARCAE ET RA-  
VENSBERGAE, DYNASTAM  
RAVENSTEINII,

*DOMINVM SVVM CLEMENTISSIMVM*

Cum

Jenæ d. 23. Februar. Anni 1688.

publicè declararetur

**MAGNIFICENTISSIMVS**

humillimè venerari ac prosequi debuit

**SERENITATVM SVARVM**

*Servus subiectissimus*

**M. MICH. FRIDER. KOPPISCH.**

*Jenens.*

JEN AE,  
LITERIS IOAN. ZACH. NISI.



Urgite Pierides, cum Phœbo surgite Musæ  
Hucque movete gradus, faciles dum debita vates  
Debilis exsolvo, recturi carmine versus.

Nam mihi non levis canitur materia laudum,  
Nec cui vana fides, qualem persæpe videmus  
Eximiis placitam ingenii magnoque furentum  
Tractatam studio, seu mollis amator Averno  
Eductus medio rapiat de flore puellam,  
Seu Medea furens infamet munera flammis,

Sive quis impatiens luctus de vertice summo  
Prosiliat sævis animam missurus in undis.

Non mihi tantus amor, tam vana refingere mente  
Nec tam crudelis consedit corde cupido.

Quod canimus lætum est, lætos signamus honores,  
Quos mea non longos vidit Thuringia messes  
Aut forsan visura statim est, multum licet optet,  
Principem Apollineum dignatum sumere sceptrum.

Hoc nostrum jam carmen erit, fit viribus isthæc  
Meta meis, quam si nequeo, cui tangere par est,  
Vos date, ne videar plane voluisse relinqu.

Principio dictate mihi, quo sanguine creta  
Illustris Soboles, queis & sua nomina retro  
Annumerat, quorum augusto de stemmate floret.  
Namque licet melior semper virtute paratur

Nobilitas propriâ, magnos quæ scandit Avorum  
Exsuperans longè titulos, fumosaque signa

Attamen imbelles Aquilam generare columbas

Magnorumque genus censi posse Deorum  
Degeneres animos, ipsosve Heroibus edi,

Ecquis crediderit temerè aut cui svaserit Orpheus?

Nam neque fert humiles pinus præcelsa myricas

Æthereisque minus surgunt viburna cupressis:

Ast amat ex simili quodvis propagine nasci.

Sive etenim sit lenta salix, fit matre salicto,

Sive ingens alnus poscatur, proditur alno.

Sic quamvis proprio Princeps ornandus honore

Progenerere meus quondam, cui Fama perennes

Conglomeret laudum titulos, quemque inferat astris:

Non tamen ex humili debebas sanguine nasci.


Hinc

Hinc Tibi BERNHARDVS vitam dedit, inclytus **Heros**,  
Cujus adorando regnabat spiritus ore,  
Index magnanimi generis, dum viveret, at nunc  
Condita pectoribus divi servatur imago.  
Nec minus & maternus honos, Te Principe dignus  
Adfuit illustres decorans natalibus ortūs,  
Quo afflavit tenerum felix THOARIA natum.  
Illa, cui Magni sublata est purpura Regis  
Haut semel atque atro commutata undique luctu.  
Quid memorem reliquos Illustris Gentis honores  
Quidque de Avis, Proavisque feram, queisque inclyta verbis  
Horum facta canam, quorum non si mihi centum  
Linguæ, ferrea vox, percurrere nomina possem.  
Namque ita Magnificis replerunt omnia gestis,  
Ut, quamvis tetricâ consumpta putredine dudum  
Corpora sint, animis semper sua Gloria vivat.  
Nam cui BERNHARDI nomen non venit ad aures  
Unquam, quem merito Magnum dixerit priores?  
Cui non dictus Hylas, quam Religionis amator  
Hic fuerit strenuus, pacisque potens assertor?  
Quemque FRIDERICI lateant tot, quemque AVGVSTI  
WILHELMIQUE aliique Viri super æthera noti,  
Saxoniæ longis quos protulit ora triumphis.  
Quis non HENRICOS noscat, quem fulmina belli  
OTTONES fugiant, aut cui tam nescia mens est,  
Qui non magnanimum teneat Patrem WITEKINDVM?  
His meus ortus Avis Princeps, hæc fulcra probatæ  
Nobilitatis habet, sed non qua terminus ipsi  
Figitur, ut, propriis Famam ne extendere factis  
Possit, néve suum gestet quoque clarus honorem.  
Pridem etenim natura suis dictura, quis esset  
Et qualis quondam Princeps Tibi, JENA, futurus?  
Sollicite cunctis ornabat divite donis  
Dextra præteriens nil quicquam Principe dignum.  
Hinc adeo perfecta ducis provenit imago,  
Quali crediderim nituit vix pulcher Julius  
Filius Æneæ multum dilectus Elysæ;  
Forsitan & Astyanax caruit prognatus Ulyssæ.  
Nec satis hoc, animo digna est quoque parta suo vis  
Hocque magis, quoniam Princeps magis indiget ipso.  
Namque ut consiliis præstet permulta suorum  
Dux aliquis, solus nec semper singula cernat,  
Sic tamen haut felix satis est, cui cuncta remoto  
Pendent arbitrio, nullisque medebitur ipse.  
Insuper & validas infestivit corpore vires  
Moxque Tibi natam magnis, Hygieia, curis  
Committens, benè Tu, bene tu hanc mihi protege prolem

Dixit



Dixit, tabificæ sed vos discedite causæ  
Hinc procul; estque ratum: nam Te vix durior aura  
Hactenus afflavit, vixque es quid passus acerbi.  
Sed tamen his melius multò nos ipse docebas  
Postquam floridior successit corporis ætas  
Ante annos animumque gerens, curasque viriles.  
Namque haut ignotum est, queis Te Dux optime semper  
Artibus exerces, quæque & documenta reponis.  
Quippe adeo infestum Cui nil, nisi torpor & umbra  
Nominis haut proprio clari, & memorabilis ausu.  
Hinc Tibi nulla dies procedit cassa labore  
Nulla nec in studiis regalibus hora locatur;  
Ast aliquid semper moliris discere, seu Te  
Lingua remotorum vario sub Sole virorum  
Allicit atque aliis gaudes diversus haberi.  
Seu lubet in magnis rerum versarier actis  
Quidve his fata ferant, quæve hos fortuna secundet  
Quærere, ut æternum possit quis reddere nomen  
Seu quid habes aliud, quod non est sciscere nostrum.  
Nec satis est tantis animum distendere curis;  
Sed nec corpus iners vacuumque labore relinquis.  
Inde fatigato studiis gravioribus artes  
Dant Tibi, ceu lusus, solamen mite minores.  
Dum juvat intrepido jam nunc residere Caballo  
Ac regere ad frenum scitè, modo recta prementem;  
Utve jubent præcepta, modo vestigia curva.  
Jamque aliquem versare cupis, victorque Daret  
Entelli in morem longè statione movere.  
Seu placet ad numeros artus formare decenter  
Ac præeunte bono terram signare magistro,  
Dum valeas choreis populo præcellere doctis:  
Præterea tua nos satagit convincere virtus  
Et quali tandem Princeps sis laude futurus  
Saltim non cunctis præclarè comprobat horis.  
Præcipuè pietas, quâ non præstantior ulla  
Est virtus, de Te nobis quæque optima spondet.  
Hincque adeo factum est, quod Te jam purpura docta  
Circuit & magnis audet præludere curis.  
Et benè, nam melius nulli, vel judice Phœbo  
Dotibus exculto tantis hæc sceptra regantur.  
Tu modo Te dignos (quoniam nunc tempus) honores  
Agredere, ô Princeps & fausto fidere Musis  
Præsidium largire tuis: Sic omnia læta  
Faustaque posterior poterit mox cernere Titan.  
Nos ne tantillum faustis, Dux Optime, desit  
Ominibus, nostrum en! uno promittimus ore  
Obsequium ac tandem FELICITER acclamamus.





# SYNCHARISTICON

QVO

*SERENISSIMVM PRINCIPEM  
AC DOMINVM*

DN. I<sup>o</sup> NEM

WIL<sup>l</sup> VM,

DVCEM SA  
VIAE AC MON  
RINGIAE, MAR  
PALI DIGNIT  
GIAE, CO  
VENSI  
F  
*DOMINVM*

Jenæ 688.

MAGN SIMVS

SEREN ARVM

M. M. PISCH.

Jenens.

JEN AE,

LITERIS IOAN. ZACH. NISI.

